



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Narratio casus cujusdam, qui dum ea celebratur evenit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ac veritatem revelarit. Hac absoluta gratiarum actione tam minister quam singuli Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum recitant: sicq; cœtus dimittitur. Antequam vero discedant, omnes iurandum dant, se religionis hoc suæ secretum nemini aperturos; veterum hæreticorum exemplo apud quos illud usitatum erat: *Jura, perjura, falsim secretum ne prode.* Hæc quidem Mâducatio, uti paulo ante dixi, inter novos illos Christianos diu usitata fuit, donec Calvinus Ecclesiam suam aliquanto melius efformavit, & Ministros à se creatos, huc illuc misit. Vidi hominem, qui apud Turonenses Manducationi ejusmodi nocturne interfuit, administrante monacho quodam Augustiniano, habitum adhuc Regularem ferente, qui postea strangulatus est. In Podiensi oppido Benearenensis ditionis, Carmelita quidam Tarbensis, Solon nomine, noctu cœdiones suas in molendino habere, ac Manducationes administrare solebat, quibus Henricus Albrechtanus, domesticis fere omnibus insciis, ob metum ne res ad Franciscum Regem, quem ægre istud latuum non ignorabat, non raro intererat. Sunt penes me cœmentarii ab uno ministrorum ipsius conscripti; quos ad faciendam, ubi necesse fuerit, huic historiæ fidem, diligenter asservo. At bonus ille Princeps ut nimia facilitate hæreticis se adjunxerat, ita non multo post ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediit.

IV. Hic ego rem notatu dignam, quæ in Manducationum istorum quodam cœtu contigit, narrare operæ precium puto. Nonnulli cives Lutetiæ, metu ne in urbe proderentur, diversis viis ad eundem locum ab urbe aliquanto remotum, profecti fuerant, ut Manducationem ejusmodi celebrarent. Pane jam distributo, minister forte lagenam, in qua vinum sacramentali potationi destinatum erat, evertit. Effuso vino, miseris quid porro facerent hæsitantibus quidam consilium dedit, ut aqua substitueretur: quod tamen ab aliis statim fuit repudiarum, ut qui forte legerant quæ Sanctus Augustinus de Hydroparastis, & Sanctus Cyprianus de Aquariis scripserunt: quorum hæresin quum tota antiquitas damnavit, tum Divus Thomas pluribus scriptis refutavit. Ut enim nostri temporis hæretici puro & mero vino in Cœnæ suæ administratione utuntur, contra primitivæ Ecclesiæ morē, quæ vinum calici infusum aqua semper miscuit, ut S. Cyprianus notat: sic prisci illi meram aquam consecrabat atq; offerebant. Valde ergo anxii miseri isti fideles, tan-

dem à Diacono quodam monentur, posse ab uvis (autumnus enim tum erat) succum exprimi, & vini loco adhiberi. Non displicuit hoc consilium cœtus præsidi: ad quod probandum, XIII. Caput Numer. legere suis cœpit, in quo mentio fit uvæ grandissimæ, à duobus in pertica è terra promissionis ad populum Israeliticum deportatæ, quam Redemptoris in Cruce pendentis figuram esse ajebat. Hic ego scire velim, annon Manducantes isti similes fuerint veteribus illis hæreticis, qui antequam altare accederent, uvas consecrabant. Verum ecce tibi non minorem scrupulum eorum, qui è Galliis in Americam deducta Colonia, novum Calvini ibi Evangelium propagare conati sunt, opera præcipuè Petri cujusdam Richerii Carmelitæ apostatæ, qui primus ejusdem Evangelii apud Rupellenfes præco fuit. Quæ vero hujus & aliorum vita fuerit scire cupiens, Launæi scripta legat, me enim tam infamia & horribilia facinora hoc loco commemorare, tædet ac puder. Res sic habet. Postquam sanctificati isti in nova illa Colonia aliquamdiu commorati fuerunt jamq; nullum omnino vinum, præter exiguum quid restaret, orta est quæstio, utrum alio quâ vino potus genere vel liquore Cœnam Domini celebrare fas esset. Quidam ajebant, quum Dominus vino usus sit, atque ipse discipulis dixerit, se posthac de fructu vitis non amplius cum ipsis bibiturum, vino omnino celebrandum, nihilq; ex prima institutione mutandum esse. Alii contra differebant, quum Christus tum in Judæa fuerit, quum Cœnâ institueret, usitato ibi potu usum esse, qui si in terris illis incultis & vini sterilibus fuisset, non solum usitato ibi potu, sed & eadem ex contritis radicibus farina fuerit usus. Quid multis. Cœclusum tandem est, quæ admodum species panis & vini ubicumq; earum copia haberi potest, nequaquam permutandæ, aut aliæ earum loco sumendæ sint: sic nihil prohibere quominus illis deficientibus, aliæ res, quibus istis in locis homines ad alimētum utuntur, adhibeantur: allegata ad hoc etiam Lutheri auctoritate, qui ubi aqua desit, cerevisiam, lac, aut alium liquorem ad baptismum adhiberi posse dicat. Et hanc opinionem postea Theodorus Beza amplexus est: quæ etiam, ut Lerijs testatur, à pluribus tum probata fuit; quæstio tamen indecisa mansit, quod ad istam extremitatem non sic devenit. Hac de re Calvinus consultus (teste Beza) respondit: Servatoris nostri Sacramentum

L1 2 hoc

hoc instituentis consilium fuisse, spiritualis cibi communionem ac participationem nobis repræsentare, id est, sui ipsius, sub communis panis ac potus symbolis. Quod si tum in Iudæa alius potus fuisset vsitatus, Christum certe eo potius quam vino vsurum fuisse: id quod ipse scopus quem Christus in Cœna spectauit, satis declarat. Existimat ergo Calvinus, eos qui non contemptu aut temeritate, sed necessitate coacti alio potus genere ijs in regionibus vsitato vtuntur, Christi consilio nihil omnino discedere. Hanc vero Caluini sententiam Consistorio atque integro cœtui ita placuisse dicit, vt eos qui ita à vini symbolo dependēt, vt alterā Cœnæ partē omittere, quam vrgente necessitate aliud proportionatum symbolum substituere malunt, supertiose facere iudicant. Quin etiam cereuisia aut alioliuore Cœnam administrari posse. Ecce tibi Calvinistica Theologia. Audi iam vicissim quid hac in re Catholica sentiat Ecclesia, ne Lectoris animus in dubio relinquatur. Materia ad consecrationem sanguinis Saluatoris nostri, necessaria, vinū est, sine quo nec sanguis Iesu Christi nobis dari, nec Calix benedictionis benedici vllō modo potest. Nā vt Sacramenta, quantum ad essentiā, à diuina sunt institutione; sic, quantum ad eorum essentiā & naturā, nihil in ijs mutare fas est. Porro institutionem hanc aut ex S. Scriptura discimus, quæ nobis modū à Christo in Sacramentorū institutione obseruatam tradit, ac similiter obseruare iubet: aut eorū instructione qui modum hunc vel ab ipso Iesu Christo, vel eius Apostolis, eorumq; discipulis & successorib. acceperunt, sequendo id quod D. N. aut ipse aut per Spiritum S. declarauit ac facere iussit. Quantum ad Dei Verbum attinet, colligi certe inde non potest, vel Dom: nostrum vel Apostolos alia materia quam vino vsos: id q; ipsi aduersarij fateantur. Quia ergo expresse iubemur facere q; Seruator fecit, hocq; mandatum ad ea certe pertinet quæ ad essentiā actionis D. N. Iesu Christi pertinent, ex quo genere etiam materia est siue obiectum; omnino etiam sub eo panis & vinum comprehenditur, vt ex ijs sacrificium & sacramentum fiat. Materia ergo in hoc Sacramento à S. Scriptura ad panem & vinum restricta est. Etsi vero D. N. vinum aqua miscuit, non tamen id eo fecit vt aqua Sacramenti huius esset materia, vt quæ ad id non pertineat, nisi quatenus traditione accepimus vinum aqua in sacra hac actione misceri solitum, vt etiamnum communiter sobrietatis amantes homines raro meracum bibunt. Et quemadmodū

aqua Calici infunditur non tamquam potus, sed consideratione vini, tanquam eius temperamentum: sic eadem nequaquam principalis est materia in Calice, sed vini tantum adiunctum, vnde & parum tantum admiscetur. Sed quamobrem? inquis. Ad repræsentandam Iesu Christi cum Ecclesia sua vnionem: quæ quidem vnio sanguine & aqua, quæ simul à Christi latere profluxerunt, præfigurata est. Ad traditionē vero quod attinet, credidit semper Catholica Ecclesia, atque ita omnes Doctores ac SS. Patres senserunt & docuerūt, Calicem Domini sine vino, tamquam materia necessaria, consecrari aut benedici non posse: eoque ijdem hæreseos eos damnarunt qui sola aqua vt ebantur, nō minus quā eos qui panis loco ad consecrationem corporis Dominici aliam materiam substituere voluerunt. Ex quo apparet Volaterranum error, scribentis, Papam sacerdotibus in Noruegia sine vino, quod in illis locis nullum ferē est, Missas celebrandi ac consecrandi potestatem fecisse. Atqui nec Papa, nec Concilium Iesu Christi institutionem mutare possunt. Quoniam ergo homines isti, diuinorum consiliorum, scilicet, interpretes, sub necessitatis vel dignitatis prætextu, Iesu Christi institutionem, contra vnanimen Catholicæ Ecclesiæ doctrinam omniumque SS. Patrum consensum, in eo quod præcipium in hoc Sacramento est, violare ausi sunt; quis non effrenem & Pharisaicam quandam arrogantiam in eis agnoscat? Cessent igitur canes isti à Harrare Ecclesiā, eo quod Sacramentum hoc caremonijs quibusdam, tanto mysterio dignis, ornauit: quæ quum ad ipsius Sacramenti essentiā non pertineant, non immerito in Ecclesiæ potestate eorum ordinatio censenda est. Sciant vero hoc, vbi materia deficiente Sacramentum hoc administrari nequit, bonam ac promptam voluntatem ac desiderium tam ad satis faciendum Dei mandato, quam ipsum corp⁹ Domini recipiendum sufficere. Considerent qua conscientia infantes sine Baptismo (Sacramento omnino necessario) mori permittant potius, quam vt eos extra concionem siue priuatim baptisent; quum huius rei nullum omnino à Deo habeant mandatum. Vide, quæso, hominum puerilitatem Idem sub necessitatis prætextu, Eucharistiæ institutionem potius omnino euertere malunt, dum scilicet alium liquorem quam à Christo ordinatum substituunt, quam Sacramenti huius vsu carere. Sed profecto fieri non potest, quin error ac mendacium quasi forex, suis se ipsa
indi-

indiciis prodant. Quibus vos armis, & Calvinistæ, veteres illos hæreticos impugnabit, ut Pepusianos, qui cum pane frumento; aut Aquarios, (quos Clemens Alexandrinus i. libro Stromatum aperte hæreticos appellat) qui loco vini aqua in hoc sacramento utebantur? Ut de aliis nihil dicam, qui pro vino lac, aut deniq; aliquid aliud substituerunt: quorum omnium error in idem incidit. Quia etiam ob hoc ipsum Calvinistæ à Lutheranis reprehenduntur, uti ex libro II. Theologiæ Calvinisticæ, & sequenti de duobus abstemiis historia videre est: quæ sic habet Cardinali Hosio, apud Imperatorem Ferdinandum Legati Apostolici munus obeunte, duo nobiles cum Iesuitis disputationem de cõmunionis Calicis susceperant. A quibus rogati (neuter enim vinum bibebat) quomodo Cœnâ suam celebrarent: unus respondit, se ex superintendentium consilio, aquam adhibere. Alter vero, Hoc, agebat, ego nequaquam à meis Pastoribus impetrare potui. Equidem Magdeburgenses in cõsiliũ adhibui, qui responderunt, si velim sanguinis Dominici fieri particeps, nullo modo me Calicem abstinere posse. Horum offensus pertinacia, Augustam profectus sum, ubi mihi idem fuit responsum. Periculum deinde in meo cubiculo facere volui, utrũ vino uti possem: sed infusum omne reluctans stomachus rursus egressit. Re diu multumq; in Consistorio ventilata, tandem conclusum fuit, debere me quando Cœna celebraretur, Calicem quidem accipere, atque ori vinum admovere, tumque etiam si nihil de gluriam, fide tamen me Christi sanguinis futurum participem. O lepidum commentum! quod nescio equidẽ quomodo cum reali manducatione quam Augustanæ Confessionis homines fatentur, conciliari possit. Historiam hanc Rescius in Artheimicis suis de Trinitate recitat. Sed ad miseros nostros erroneos redeo.

Non multo post novæ istius religionis sectatores cum Manducatione sua è cavernis ac hortis longe ab hominum cõmmercio remotis, in publicum eruperunt, quamvis spiritum domi, uti agebant, in cubiculis suis relinquerent. Inde vero magnæ cõtroversie inter Calvinistas ortæ sunt, quibusdam dicentibus, ad vitandam persequutionem, licere Missam accedere, modo animus integer & in veritatis cognitione firmus persistat; eoque externam illam actionem neminẽ debere offendere. Calvinus qui Genevam tanquam ad asylum confugerat, ibique tutus se continebat, acerbum scriptum contra perlonatos hos fideles, quos Nicodemitas appellat,

Anno MDXLV. edidit. Multi nihilominus in sententia sua persistebant, agentes, Domini solius esse cõscientiã judicare, ut cui soli interiora animi cognita sint ac contra rationem esse, Ecclesiam vix dum natam, quamque nihil magis quam silentium & secretum tutam præstet, præsentissimo periculo objicere, ac hostibus penitus exstinguendam ac proculcandam dare.

VI. Dubia porro hæc in omnibus fere eorum cõtibus ventilata sunt, nec leves inde contentiones ac simulates exstiterunt, ferventioribus eos qui ad Catholicas itarent Ecclesias increpantibus. Quocirca legatos in Germaniam, Helvetiam, ac Genevam miserunt, ut Theologos quid hac in re faciendum esset, consulerent. Quorũ diversa fuerunt sententiæ Saxones enim, Licere, agebant, declinandi periculi causa Papisticis interesse ceremoniis, verum id quã potest rarissime faciendum. Calvinus è contra, cui aliena pellis vilis erat, Deo pure serviendum, & tam corpus quam animum ab omni idololatriæ labe purum servandum, recte, et si minus vere, monebat. Sic ergo incertiores quam antea redditi, ex miseris illis nonnulli hypocrisis velo utebantur, & corpus quidem ad Missæ sacrificium afferebãt, cor vero domi in cubiculo relinquebant. Alii vero Calvini sequuti consiliũ, & animi sui sententiam libere professi, novum illud Pseudomartyrologium nominibus suis & Actis longius fecerunt, ut infra videbis.

QVIBVS ARTIBVS RELIGIOSI VTRIVS-
que sexus ad Calvinisticam religionem vel
libertatem potius fuerint pertracti.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

ARGUMENTVM.

- I. *Calvini Evangelio percrescente, multi utriusq; sexus Religiosi monasticum habitum abiciunt.*
- II. *De quodam Monacho Dominicano, à Calvinistis ut religionem desereret tentato.*
- III. *De quibusdam qui Catholica religione ad seducendos alios abusi sunt.*
- IV. *In primis ut populum ad idololatriam perducerent.*
- V. *An illa vera fuerit idololatria.*
- VI. *Quæ idololatria est materialis, non formalis.*

QVemadmodum morbus omnes pravos corporis male affecti humores excitat; sic Lutheri ultima ac Calvinii rabies omnes eorum qui